

# CASUS DE RESTITUTIONE IN GENERE

## SEU

*De obligatione restituendi, seu reparandi injuriam aliis illatam aut debita contracta solvendi.*

### CASUS I.

#### OBLIGATIO RESTITUTIONIS 1°.

GRIFINUS, patrato gravi furto, licet eum sui peccati pœniteat, restitutionem tamen ad menses protrahit. Postea pergit ad confitendum, non adhuc facta restitutione. Arguitur a Confessario de multiplici peccato mortali, propter dilatam restitutionem, et dimittitur absque absolutione, donec restituerit.

HINC :

QUÆR. 1° *An GRIFINUS pluries graviter peccaverit, restitutionem ad varios menses differendo?*

2° *An recte egerit Confessarius absolutionem denegando?*

SOLUTIO :

580. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Probabilius unicum peccatum mortale GRIFINUS commisit, si habitualiter in prava voluntate rem alienam retinendi perseveraverit, quia hæc eadem mala voluntas per modum continui subsistit. Attamen pluries graviter peccasset, si, mutata in melius voluntate, propositum non restituendi renovasset; quia actus peccaminosi voluntatis multiplicati fuissent. *S. Lig. de Act. hum. n. 40.*

581. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Recte quidem egit Confessarius, juxta regulas directionis ordinarias. Sed in praxi attendendum est ad varias rerum et personarum circumstantias, ad restitutionis difficultatem, ad majus pœnitentis bonum spirituale. Generatim, ubi fieri potest restitutio, ante absolutionem exigenda est. Experientia enim constat debitorem semel absolutum de restitutione parum sollicitum esse. *S. Lig. n. 682. — V. Comp. t. II, n. 627.*

### CASUS II.

#### OBLIGATIO RESTITUTIONIS 2°.

FLAVIUS plurima furtula apud diversos dominos commisit, ita tamen ut, licet horum collectio gravis evaderet, nemo tamen graviter læderetur. Cum autem tempore Paschali confiteretur, sub gravi urgetur a Confessario ad hæc omnia apud singulos dominos læsos resarcienda.

HINC :

QUÆR. 1° *An FLAVIUS obligatus fuerit sub gravi ad restitutionem, sive pro furtulis, sive pro damnis, etiamsi graviter non peccaverit?*

2° *An FLAVIUS debuerit restituere sub gravi singulis dominis læsis?*

SOLUTIO :

582. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* FLAVIUS tenetur sub gravi ad restitutionem, licet gravem culpam non admisit, furtula patrando, quia rem alienam, ratione materiæ gravem, possidet. Secus enim ex furtulis, absque culpa gravi, ditescere posset, quod sensui communi et bono societatis repugnat.

583. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* FLAVIUS tenetur sub levi tantum singulis dominis læsis restituere, quia levem tantum injuriam singulis intulit, licet obligari possit sub gravi ad se exuendum re aliena materiam gravem constituyente, ut supra dictum est. *V. Comp. n. 626 et seq.*

### CASUS III.

#### OBLIGATIO RESTITUTIONIS 3°.

1° CARPOPHORUS plurima debita contraxit propter luxum extraordinarium et frequentiora convivia; ad quæ uxor BERTA non modice fuit cooperata. Sed ecce, subitanea morte correpto viro, creditores illico undique convenere ad miserrimam viduam, quæ a marito nil possidet nisi copiosam prolem, et valde modicam bonorum substantiam. Hinc gemebunda quærit a Confessario, an teneatur ex modicis illis bonis creditoribus satisfacere?

2° MEDARDUS recusat solvere debita quæ, potando in taberna, contraxit PAULUS, filius ejus minor, negatque ei omne subsidium pecuniarium, ne in posterum bibere pergat. Pergit tamen PAULUS bibere vinum, in creditum sibi ministratum. Frustra autem clamat reclamaturque tabernarius, solutionem requirens a Medardo; surdo canit ille.

HINC :

QUÆR. 1° *An BERTA teneatur modica bona quæ supersunt, creditoribus tradere in primo casu?*

2° *Quid, si BERTA bona paraphernalia habeat?*

3° *An MEDARDUS debita filii solvere teneatur?*

4° *Quid, si filius habeat ex defuncta matre bona a patre administrata? et quid de tutore respectu pupilli, in pari casu?*

SOLUTIO :

584. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Per se BERTA obliganda foret ad solvendum creditoribus de bonis, licet modicis, a conjuge defuncto relictis, quia illos indemnes facere debet, ut suadet naturalis æquitas. Verumtamen, cum habeat multiplicem prolem, exiguam vero bonorum substantiam, excusanda videtur ab obligatione restitutionis, saltem ad tempus, seu usquedum

ditior evaserit. Ratio est, quia impotentia moralis, in qua versatur, justam causam ei præbet differendi restitutionem. Excipe tamen, nisi creditores, vel aliquis eorum, in eadem necessitate versaretur, quia tunc potior esset creditoris conditio. *Elbel*, n. 336. — *Lacroix*, lib. 3 p. 2, n. 432.

585. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* BERTA creditoribus satisfacere nec teneretur quidem, etiamsi bona paraphernalia haberet, nisi absolute erga illos se obligasset. Etenim non potest teneri, nisi ratione contractus; porro, ubi deficit consensus, ibi corrumpitur contractus. Ergo nullo modo infelix uxor ad restitutionem urgenda est. Excipe, nisi BERTA mala fide ad debita mariti contrahenda cooperata fuerit, v. g. virum inducendo ad nimium luxum, etc., licet præviderit illum fore imparem ad solvendum creditoribus; tunc enim uxor ex bonis sibi propriis debita mariti solvere teneretur. — *Lacroix*, *ibid.* n. 381. — *Elbel*, *ibid.*

586. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* MEDARDUS minime tenetur solvere debita a filio minori prodigaliter in cauponis et tabernis contracta, quia in hujusmodi expensas non consensit. Insuper, sibi imputare debet damnum illud tabernarius, qui filio minori et dyscolo, ut sane apparebat, vinum et epulas subministravit.

587. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Probabilius neque in hac hypothesi pater, bonorum filii administrator, tenetur ex eis solvere ejus debita extraordinaria, in tabernis irrationabiliter contracta. Hæc enim filius a patre repetere posset post majoritatem, saltem ex jure civili. Juxta leges autem conscientiæ, videtur admittenda sententia tabernariis quidem opposita, sed adeo moribus favens, tot et tanta scandala præcavens, et maxime societatis deordinationi obsistens. Ita *Carrière*, etc., contra alios. Quod autem de patre dicitur, pari modo de tutore dicendum est.

## CASUS IV.

## EX MALO BONUM.

1<sup>o</sup> THYRSUS, ex odio in GABINUM, ejus domum clam incenderat; huic vero festinanter subveniunt multi, miseranda ejus sorte commoti, ita ut brevi ex integro factus fuerit indemnis, imo domum novam veterem meliorem habuerit. Hoc autem sciens THYRSUS, licet postea ipsum facti pœniteat, de restitutione non curat.

2<sup>o</sup> Cum in quadam civitate ingens exortum fuisset incendium, ocuis ex tota provincia eo successu collectæ sunt eleemosynæ, ad miseris damnificatis subveniendum, ut non solum omnes facti fuerint indemnes, sed etiam ut plures, exaggerato damno, sive de industria, sive bona fide, multo plus acceperint quam amiserint.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An THYRSUS GABINO restituere debeat? vel quid ipsi injungendum sit?

2<sup>o</sup> Ad quid teneretur GABINUS, si restitutio ipsi a THYRSO fieret?

QUÆR. 3<sup>o</sup> An teneatur ad aliquid GABINUS, ex eo quod per novam domum plus acceperit quam amisit?

4<sup>o</sup> Ad quid teneantur cives, qui plus acceperunt quam incendio amiserunt?

SOLUTIO :

588. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> THYRSUS minime a restitutione excusandus est. Quicumque enim voluntarie damnum injustum intulit, illud ex stricta justitia reparare debet, nisi impotentia impediatur. Per accidens autem est, quod dominus læsus jam indemnis factus sit. Pii enim donatores, si scivissent incendium a malevolo homine factum esse, profecto non intendissent eum ab onere restitutionis liberare. Ergo reapse minime liberatur.

2<sup>o</sup> THYRSUS restituere non debet GABINO : hic enim jam indemnis factus est, nec potest juste plus recipere quam amisit, siquidem piorum donatorum intentio non fuit ut ex eleemosynis ditesceret, sed tantum ut ex infortunio emergeret.

3<sup>o</sup> THYRSUS restituere non debet iis qui damnum compensarunt, si multi sint et ignoti, sed pauperibus; secus si pauci sint et noti.

589. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* GABINUS, si ipsi restitutio fiat, pauperibus, vel causis piis, v. g. Ecclesiis retribuere debet vel ipsis piis donatoribus notis, si notabilem eleemosynam contulissent, quia bis indemnis fieri nequit.

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Nego.* Gaudeat GABINUS de felici sorte sua, seu ex eo quod ex malo bonum perceperit. Difficile enim est ut domus recenter ædificata valorem veteris non superet. Neque sane a piis donatoribus intenditur, ut excessus valoris a donatorio restituatur. Attamen non potuisset ex eleemosynis domum multo ampliorem et commodiorem construere, quia tunc reapse ditesceret contra voluntatem eorum qui ipsi opitulati sunt.

590. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Cives qui plus acceperunt quam amiserunt, excessum indemnitis minime servare possunt. Ratio patet ex dictis supra. Nec obstat quod bona fide excessum illum acceperint, quia neque ipse possessor bonæ fidei servare potest id ad quod nullum jus habet. Igitur pauperibus superfluum erogare debent, ut supra dictum est. Si compensatio pro damno facta fuisset a societate aliqua *assurance* (compagnie d'assurances), huic societati superfluum prædictum retribuendum esset.

## CASUS V.

## PISTOR IN PROPRIIS VERBIS CAPTUS.

MONICA, cum panem a RUFO, pistore, accepisset, atque domum retulisset, mirans advertit eum tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis vitiosum esse. Rem hanc ad URBANUM, prætorem (*commissaire de police*), deferre festinat. « Eia igitur, ait ille, veni mecum ad pistorem. » Pergunt quidem ambo : præit URBANUS, prætor; subsequitur mulier. Ast obstupfactus RUFUS, ibi prætorem cernens, negat se unquam MONICAM vidisse. Reclamat illa : « Mehercle belle me nosti, mi bone, ait mulier : imo ego

tibi 80 francos debeo. Aspice argumentum in hoc symbolo (*coche*) a te mihi exhibitio. » Hæc omnia negat, et pernegat pistor. « Bene, ait mulieri prætor, nihil prorsus isti debes; » et confestim symbolum destruit, et cum MONICA recedit, pistorem laqueo captum relinquit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An MONICA a debito solvendo liberetur? seu an URBANUS, prætor, jus habuerit debitum MONICÆ remittendi, ad pistorem puniendum?

2<sup>o</sup> An pistor occulta compensatione pro parte denegati debiti, data occasione, uti posset?

SOLUTIO :

591. — R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. 1<sup>o</sup> Affirmative. MONICA igitur minime inquietanda est. Ratio est quia fit condonatio, saltem implicite, ex parte pistoris. Negat enim se MONICAM agnoscere : ergo negat se ejus creditorem esse; ergo implicite debitum remittit. Mavult enim ille debitum condonare, quam majus damnum subire per publicam judicis sententiam. Etenim ad veram condonationem requiritur et sufficit, ut remittens habeat dominium integrum rei, et remittere velit. Porro hæc in casu nostro habentur. Nec dicas pistorem non remittere nisi metu coactum, et proinde invalidam esse condonationem : nam homo libere agit, interveniente metu legitime incusso; potest enim semper aliud medium eligere, scilicet culpam fateri, et pœnam admittere. Ergo in eo vere datur voluntas tacita et implicita debitum remittendi. *Recole dicta supra in casu 6, de furto, n. 564.*

2<sup>o</sup> PRÆTOR URBANUS valide et juste MONICAM a debito liberavit. Etenim jus habebat pistorem puniendi, seu eum deuntiandi judicis; pistor autem mavult se redimere a justa vexatione debitum dimittendo, quam pœnam subire. Prætor igitur, illa punitione contentus, renuntiat juri quod habet majorem pœnam per judicis correctionem procurandi, et sinit ut ipse reus seipsum puniat, jus suum in debitum abdicando.

592. — R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Pistor minime se compensare posset. Ratio est, quia, ex dictis, juri suo vere renuntiavit, et juste punitus est. Ergo debitum omnino extinctum est; ergo se compensando injuste ageret, seu furtum verum patraret; ergo ad restitutionem teneretur secus enim fraudulenter justam punitionem effugeret. Nec dicas MONICAM recipere rem non suam, debitum retinendo; nam pistor ad magnam mulctam solvendam damnari juste potuisset, facit autem prætor ut hæc pecunia ad MONICAM divertat. Gaudeat igitur in bona pace MONICA, sicut GABINUS in præcedenti casu, ex eo quod bonum ex malo perceperit.

## CASUS VI.

### QUIS DAMNUM SUBITURUS?

MATHIAS a DONATO mutuo summam quinque millium francorum postulat, ad prædium venale emendum. Libentissime annuit DONATUS, sed, ait : « Hanc pecuniam in promptu non habeo, eam tenet RUFUS,

campus; ab eo quam citissime repetam, tibi tradendam. — Ne, quæso, tam cito repetas, ait MATHIAS, siquidem ante mensem illa mihi opus non est. — Res male procedit, reponit DONATUS; sum enim ego post paucos dies ab hac regione abiturus, nec adero pro pecunia repetenda. Sed ecce in mentem suboritur cogitatio non spernenda. Audias : visne in locum meum subrogari? Amice, nomen tuum loco mei nominis in libello pone; sic facile poteris ad libitum propriam, opportunitate data, pecuniam repetere. Tu vero schedulam subscribere velis in fidem debiti 5,000 fr., cum pacto consueti fenoris, ab hac die computandi. » Annuit MATHIAS ad omnia, resque tota magno utriusque gaudio conficitur. Sed, o rerum humanarum caducitatem! elapso mense, cum MATHIAS pecuniam suam jamjam esset reclamaturus, obstupefactus audit RUFUM, campsores, lugendo eventu, integram honorum ruinam subisse. Inde iræ, seu lites inter MATHIAM et DONATUM; prior enim pecuniam ab altero repetit, sed hic mordicus tenet se nihil ei debere.

HINC :

QUÆR. Quis damnum illud 5,000 fr., subire debeat? An MATHIAS, aut DONATUS?

SOLUTIO :

593. — R. Accedamus ad litem MATHIAM inter et DONATUM dirimendam. Sed quis damnum subiturus? Res indubia videtur. Lugenda sane est sors adeo infelix MATHIÆ. Quomodo vero sublevanda? Patientia propria, et amicorum commiseratione, alio solatio prorsus deficiente. Sed nonne res perit domino? Dominus autem nonne est DONATUS, qui pecuniam RUFO, campsores, mutuo tradidit? Nequaquam, quia, contractu debitis conditionibus vestito, MATHIAS loco DONATI constitutus fuit, ita ut ab eo tempore ille verus fuerit dominus pecuniæ apud campsores existentis, et, summæ æqualis testimonio a se subscripto, erga DONATUM debitor evaserit. Sic de jure naturali lis dirimenda est. Si alicubi jure positivo aliter statuatur, sententiæ judicis, latæ solum, standum erit. Ergo ipsi MATHIÆ perit summa infortunio RUFUM extincta. Ergo, licet MATHIAS nihil prorsus a RUFO recuperaverit, 5,000 fr. nihilominus DONATO solvere debet. Durum! sed, ut ait poeta : *Levius fit patientia quidquid corrigere est nefas.*

## CASUS VII.

### DEBITOR RECALCITRANS.

#### Seu prætextus ad omittendam restitutionem.

RICULFUS, variis debitis, ex delicto præsertim contractis, gravatus, accedit ad confitendum, et conscientiam aperit. Statim ac Confessarius obligationem restitutionis aperit et urget, ecce recalcitrans debitor ingentem causarum excusantium quantitatem profert, objicit, agglomerat; erigitur ac torquetur haud secus ac serpens, cujus incauto pede caudam pressisti : unde lis ingens Confessarium inter et pœnitentem instituitur.

Cupisne præcipuas RICULFI argutias cognoscere? Statim eas oculis tuis subjiciam, cum responsonibus Confessarii immediate subnexis.

Hinc :

594. — *Objectio 1<sup>a</sup>*. Sic RICULFUS : Creditor meus divitiis abundat ; si ipsi restituero, istud nihil ei proderit omnino, dum mihi misero vita ardua ducenda est. Quapropter ab onere tanto restitutionis faciendæ eximendus videor.

*Responsio Confessarii* : Vanam sana, mi bone, ac ridiculam objicis excusationem ; parvi enim refert quod læsus in bonis suis sit dives vel pauper. Res aliena semper domino suo clamat, et ipsi reddenda est, quoties fieri potest ; quia injuria quælibet reparationem expostulat. Numquid dives jus æquale in bona propria non habet, veluti alius quilibet ? Si opulentus sit, numquid ideo omnes turmatim in eum spoliandum irruere possunt ? Quid tibi videretur, quæso, si tu ipse loco divitis constitutus esses ? Numquid tibi gratum foret, si bona tua undique diriperentur ? Audi igitur conscientiam clamantem : *Redde quod debes*.

*Objectio 2<sup>a</sup>* : Quot alii, ait pœnitens, mihimetipsi injuriam intulerunt, et quidem sæpius ! Nemo tamen sollicitus est de damnis istis reparandis : quapropter compensationem, ut valeo, obtineo. Quando alii mihi restituent, tunc etiam ego restituere festinabo : retribuam alii, et retribuam ego.

*Responsio* : Quinam sunt alii qui tibi non satisfaciunt ? Suntne certo iidem, quibus tu damnum intulisti ? subjungit Confessarius. Si ita foret, non esses forte adeo reprehendendus. Verum nescis a quibusnam injuriam acceperis, et apud homines primum obvios te compensare contendis ? Dic mihi, quæso : ille, cui damnum infers, estne causa jacturæ quam ab aliis passus es ? Si TRIVS te damnificavit, numquid CAIVS pro eo tibi retribuere debet ? Accipe exemplum : quid diceres, si quis ad te accedens hunc tibi haberet sermonem : « Redeo a villa ; ecce in itinere invasus fui a fure, qui a me abstulit crumenam 100 nummis refertam ; venio igitur ad pecuniam hanc a te repetendam. Redde mihi 100 nummos. » Ah ! te audio exclamantem : « Mehercle ! insanis ! Quid ad me, si alius te exspoliaverit ? Quid rei est inter me et furem tuum ? Recede cito, et curre post latronem, si forte eum comprehendere valeas. » Sic tu, et bene. Tu vero numquid unius ridicule loqueris et agis ?

595. — *Objectio 3<sup>a</sup>* : Sed, Pater, ecce alia difficultate, et quidem maxima, delineor : ad restituendum deberem famæ jacturam facere ; porro non possum tantum subire detrimentum ! Quomodo valerem cum aliis tractare infamatus ? Ah ! potius mortem appeterem, quam famam amittere.

*Responsio* : An serio hanc proponis difficultatem ? *Famam objicis !* Eia, dic verum ; putasne in hoc vel minimam reperiri difficultatem ? Quot sunt modi, mi bone, quibus et creditores tuos indemnes facere, et tuæ famæ consulere ponis ! Per fidem amicum, per mandatarium fidelem et secreti tenacem, per Confessarium denique, aut quacumque alia via, cures, ut pecunia, si restituenda sit, ad creditores, te prorsus ignoto perveniat. Si autem agatur de re aliqua, etiam immobili, reddenda, ope eorumdem, ac præsertim confessarii, secretam in eas cum creditoribus compositio-

nem. Vix unquam fit, ut qui bonum alienum restituere vult, famam suam prodere cogatur.

596. — *Objectio 4<sup>a</sup>* : Restituere non valeo. Nihil prorsus habeo superfluum. Vix finem anni cum principio jungere possum. Numerosa prole sum gravatus. *Ad impossibile nemo tenetur*. Proinde restituere non valeo. Peto igitur ut absolvas me, et in pace dimittas.

*Responsio* : Videamus an hæc nova ratio pluris valeat quam præcedentes, jam a te allatæ.

*Restituere nequis !* Si verum sit, nihil amplius habeo subjiciendum. Non sum tamen ex omni parte quietus ; scio enim plerasque hujusmodi rationes proferri *ad excusandas excusationes in peccatis*. Scio debitores innumeros habiles esse ad fucum sibi faciendum, necnon ad fallendos Confessarios.

*Restituere nequis !* Ast, quæso, adhibuistine industrias omnes ad hoc moraliter possibles ? An assiduo labori vacasti ? An parcimoniam studuisti ? An, ut obligationem restituendi semper præ oculis haberes, sollicitus fuisti ?

*Restituere nequis !* Sed quorsum tot expensæ in ludo, in epulis et comensationibus ? Quorsum tot peregrinationes in cauponas, in cœtus otiosorum ? Quare 100 francos annuatim in vanissimum tabaci fumum expendis ? Quare filiæ tuæ in *similitudinem templi sunt exornatæ* ? Quare filii tui rem familiarem, te sciente, dilapidant ?

*Restituere nequis !* Sed necesse non est, ut omnia debita tua simul persolvas. Nonne partem aliquam interdum creditoribus retribuere vales, et sic paulatim ab onere restitutionis liberari ? Accipe exemplum : operarius quidam 50 fr. alicui socio debebat. Solutionem differebat, quia totam hanc summam colligere non poterat. Suasit ei Confessarius, ut singulis hebdomadis 20 asses seponeret ad hunc finem. Obtemperavit ille, et, elapso anno, integrum debitum fuit extinctum.

597. — *Objectio 5<sup>a</sup>* : Si restituero, decidam e meo statu..., et quid tunc de filiis meis erit ? O filii miserimi ! panem emendicabunt ! Numquid conditio hujusmodi tolerabilis est ?

*Responsio* : Utquid effutis prætextus omni prorsus fundamento destitutos, ad onus restitutionis declinandum ? Jam dictum est neminem teneri ad præsentem restitutionem cum morali impossibilitate. Quid times ? Panem non emendicabunt filii tui. Sed novit Deus utrum debitis saltem pro parte satisfacere non possis, quin in tantam inopiam filii tui dejiciantur.

*Quid de filiis ?* ais. Ego autem tibi dico : *Quid de filiis tuis*, nisi restitueris ? Si æs alienum ipsis relinquis, in æternam perditionem eos sane pertrahet. Quid igitur de illis, si eisdem injustitias, avaritiam et cupiditatem tuam relinquis ? Nescis quod æs alienum haud absimile est rupi e summo monte dissectæ, quæ impetu vehementissimo præceps volvitur, et quidquid ei fit obvium pertrahit, et in imam abyssum dejicit ! Si igitur velis a tanta calamitate præcavere tibi filiisque, *redde quod debes !*

598. — *Objectio 6<sup>a</sup>* : Urgent nunc alia negotia, ad quæ perficienda, tota mea pecunia adhibenda est. Sed restituere firmiter propono, modo tempus mihi concedatur. De cætero nihil timendum pro creditoribus :

nam, si non restituam per meipsum, retribuam per hæredes. Numquid bona mea mecum tumulabuntur? Numquid hæc bona in alterum mundum afferam?

*Responsio* : Respuit Deus hoc tuum restituendi propositum, quia non est sincerum neque efficax, proindeque nihil prorsus tibi proderit. O frater! jam cerno apertam gehennæ abyssum ad te suscipiendum, vorandumque!

*Restitues alio tempore!* Quare non in præsentî? Animadvertite fucatas esse, quas affers, ratiunculas. Numquid alio tempore non tibi etiam occurrent alia negotia suscipienda, vel perficienda? Restitues alio tempore? Sed quandonam, quæso? Quot alii talem effutierunt prætextum, et absque restituto ære alieno decesserunt, et nunc æterno igne cremantur!

*Restitues per hæredes!* Sed potesne confidere eos æquiores et justiores te ipso futuros esse? Nonne etiam potiori jure, cum debita personaliter non contraxerint, hi etiam ad alios hæredes onus restitutionis remittent, ita ut producenda sit hæc maledicta catena detentorum boni alieni, qui successive in abyssum æternæ damnationis irruent? Hæc est igitur abominanda hæreditas filiis tuis a te relinquenda? Nec a tanto tui ipsius et illorum periculo horrescis?

*Non afferes bona tua in alterum mundum?* Hoc verissimum est: sed afferes injustitias tuas ad tremendum Dei judicium! afferes maledictionem creditorum tuorum ultra tumulum! afferes animam peccatis non dimissis coinquinatam, et in orcum te auferet diabolus; clamat enim Augustinus: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Et ingeminat magnus Paulus: *Rapaces regnum cælorum non possidebunt!* Vide igitur quid tibi magis expediat, ut æternæ saluti tuæ prospicias.

## CASUS

### DE POSSESSORE REI ALIENÆ

*Agendum de triplici possessores, scilicet bonæ fidei, malæ fidei, et dubiæ fidei.*

#### CASUS I.

##### POSSESSOR BONÆ FIDEI 1°.

GAUDENTIUS emit, et possidet bona fide prædium constans ex domo et vineis. Domum ruinosam pro commoditate sua immutat, vineas pinguiores facit, et copiosos inde colligit fructus. Alias bovem emit, quem majori pretio vendit LUCÆ. Sed ecce paulo post rescit prædium pertinere de jure ad PAULUM, et bovem ad JOANNEM. Hinc anxius quærit a Confessario ad quid teneatur in singulis casibus?

HINC :

QUÆR. 1° *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei?*

2° *Ad quid teneatur GAUDENTIUS in duplici casu?*

SOLUTIO :

599. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* 1° Possessor bonæ fidei, statim ac novit rem a se possessam esse alienam, tenetur adhuc eam exstantem in toto vel in parte, aut in emolumento, restituere domino noto, cum ejusdem rei incremento, seu cum eo omni ex quo factus est ditior, deductis tamen expensis in commodum rei factis, necnon fructibus industrialibus. Quod si non restituat, possessor malæ fidei evadit.

2° Ad nihil autem tenetur, si, tempore bonæ fidei, rem consumpserit, amiserit, destruxerit, nec inde ditior evaserit; item si legitime prescripserit.

3° *Ex Jure Gallico* possessor bonæ fidei nullos fructus restituere debet, si excipiantur fructus adhuc pendentes, seu rei inhærentes, cum rem restituere debeat ut hic et nunc existit. *V. Comp. n. 635-636.*

600. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* GAUDENTIUS : 1° tenetur restituere PAULO prædium, deductis tamen expensis, et fructus naturales saltem exstantes, *ex Jure Romano.* *Ex Jure autem Gallico* satis est, si restituat nudam proprietatem uti nunc existit, deductis expensis omnibus. Potest igitur servare omnes fructus, non solum industriales, sed etiam naturales, et se compensare pro expensis necessariis, vel utilibus ad rei conservationem, etc. *Cod. civ. n. 548.* Non potest autem se indemnem facere pro expensis mere voluptuariis, ut patet.

2° Quid vero quoad bovem quem non amplius habet, et de lucro quod in eo vendendo percepit? *R. In casu evictionis,* pretium refundere debet